

ficorum, et laicalium, qua constat, malefactores, et legum transgressores variis afflicti pœnis, rotæ v. g. patibuli, gladii, combustionis, exilii, etsi invincibiliter ignorarint, delicta a se committenda, et commissa pœnis hujusmodi subiacere. Quin imo ter optimus, ac justissimus iudex Deus variis pœnis æternis et temporalibus peccatores et legis suæ transgressores affligit, etsi peccantes ignorent, se ob peccata has pœnas in specie incurrere, quia sufficit, eos scire, quod legem transgrediendo culpam et peccatum committant, peccatum vero pœna proportionata justa puniri.

323. *Ignorantia censuræ excusat ab ea.* — Dicitur autem notanter, exceptis censuris: omnes enim fatentur, ignorantiam censuræ excusare ab ea incurranda, etsi cæteroquin contra legem agendo gravissime quis peccet. Ratio est, quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, hæc autem non adest, ubi ignorantia censuræ habetur, uti magis dicitur infra tit. XXIX, *de Sentent. excommunicat.*, ergo.

324. *Simoniace accepta temporalia tenentur quis restituere etsi accipiendo illa ignoravit, te peccare.* — Quæritur VI. An, et quæ causæ excusent a restitutione simoniace acceptorum? Resp. II. Quicumque simoniace accipit aliquid temporale pro, vel propter spirituale, præsertim beneficium ecclesiasticum, indeque ad restitutionem illius temporalis tenetur, juxta dicta a num. 289, nullatenus excusatur a restitutione hujusmodi rei temporalis licet accipiendo talem rem invincibiliter ignoraverit obligationem, et onus restituendi illam, imo etiamsi invincibiliter ignoraverit, se ita accipiendo peccare, indeque bona fide acceperit, et possidere inceperit; nisi jam adsit præscriptio. Hæc conclusio necessario sequitur ex dictis a num. 289. Quia, cum juxta ibidem dicta onus restituendi acceptum temporale pro spirituali, non tam sit pœna a jure humano proveniens, quam obligatio consurgens a jure divino, et naturali, vi cuius quis tenetur restituere rem alienam, palam est, eum, qui simoniace accipit temporale pro spirituali, tenere illud restituere, quamprimum, rescit illud tanquam rem alienam restitutioni esse obnoxiam; etiamsi prius illam accipiendo, id ignoraverit.

325. *Præsertim simoniace acceptum ob beneficium ecclesiasticum.* — Dicitur notanter præsertim beneficium ecclesiasticum, quia simoniace accepta pro vel propter hoc tem-

poralia, esse obnoxia restitutioni ex justitia, consequenter ex jure divino, specialis habetur certitudo ob damnatam ab Alexandro VII opinionem contrariam allegatam supra n. 292.

Limitatur tamen conclusio in simoniace acceptis pro ingressu in religionem, juxta dicta n. 298.

326. *Nisi quis hujusmodi simoniace accepta jam præscripserit.* — Resp. II. Præscriptio legitima excusat a restitutione simoniace acceptorum; consequenter, qui simoniace accepit temporale pro spirituali bona fide putans, id esse licitum, vel sciens quidem, id illicitum et simoniacum, ignorans tamen invincibiliter, hoc etiam contra justitiam, et consequenter ita acceptum tanquam rem alienam restitutioni esse obnoxium, talis rem præscribit, et iacit suam, nec tenetur illam amplius restituere, sed valide ac licite retinere potest, si tempore ad præscriptionem requisito eam bona fide possidere continuat. Hæc conclusio, ejusque probatio desumitur ex generali doctrina de præscriptione, vi cuius juxta communem omnium quivis requirit dominium rei alienæ, quam vero, vel colorato titulo, bona fide, legitimo tempore possedit, prout ample dictum habetur lib. II, tit. XXVI, *de Præscript.* ergo etiam, qui simoniace pro spirituali accepit rem temporalem, eamque ut suam legitimo tempore bona fide possidere continuat, dominium illius acquirit; præsertim quia semper adest etiam titulus saltem coloratus, tacitum nempe, vel expressum pactum.

327. *Quantum temporis requiratur ad hanc præscriptionem? Remissive.* — Si quæras, quantum temporis requiratur ad præscriptionem? Resp. id patere ex dictis cit. lib. II, tit. XXVI, *de Præscript.* ubi § 6, plene declaratum, et probatum habes, quod ad præscribendas res mobiles requiratur, et sufficiat triennium cum titulo et bona fide: res immobiles vero præscribantur decennio inter præsentem, et viginti annis inter absentes.

328. *Doctrina practica de præscriptione simoniace acceptorum temporalium.* — Infertur eos, qui vel simoniam, vel obligationem restituendi simoniace accepta ignorantes pro spiritualibus accipiunt bona aliqua mobilia, et bona fide per triennium retinent, ad restitutionem illorum non amplius teneri: eos vero, qui vel ab initio, sciunt, vel intra triennium legendo, vel audiendo sufficientem notitiam acquirunt temporalia pro spi-

ritualibus juste accipere non posse, et accepta restitutioni obnoxia esse, ea jure divino et naturali restituere debere, quantumvis postea longo tempore ea possideant.

329. *Qui beneficium ecclesiasticum ab aliis ipso ignorante simoniace procuratum per triennium bona fide possedit, non tenetur amplius illud restituere.* — Resp. III. Qui beneficium ecclesiasticum ab aliis, ipso ignorante, simoniace procuratum, bona fide per triennium possidet, non tenetur illud, vel fructus inde perceptos restituere. Patet conclusio ex dictis n. 278, et seq.

330. *Bene vero, si intra triennium id rescit.* — Resp. IV. Qui intra triennium rescit beneficium, quod habet, ab aliis, ipso ignorante, simoniace procuratum et collatum fuisse, tenetur illud illico restituere: fructus tamen interea bona fide perceptos retinere potest. Constat conclusio ex dictis supra n. 274, et seq.

331. *Simoniace beneficium procurans non gaudet regula de trienniali, sed tenetur illud una cum fructibus restituere.* — Resp. V. Quicumque beneficium simoniace scienter procurat, tenetur illud una cum fructibus ante omnem iudicis sententiam restituere. Hæc quoque conclusio patet ex dictis supra n. 264 et 265, ac procedit, etsi simoniace procurans ignoraverit, beneficium ita procuratum, esse nullum, et dimissioni seu restitutioni obnoxium. Ratio est, quia juxta dicta n. 321, ignorantia pœnarum simoniæ (inter quas etiam est nullitas collationis beneficii per dicta n. 264) non excusat ab illis, si quis ipsius culpæ simoniacæ reus est.

332. *Illis exceptis, quos præscripsit.* — Circa fructus tamen illud advertendum, quod, qui beneficium simoniace procuravit quidem, ignoraverit tamen collationem beneficii simoniace factam, esse irritam, et beneficium dimittendum, fructus illos, quos bona fide interea percepit, et per triennium possedit, restituere non amplius teneatur; quia, cum in tali casu fructus tanquam quid mobile cum titulo saltem colorato, et bona fide possederit, suffragatur ei præscriptio per dicta.

§ XIV.

DE DISPENSATIONE IN PœNIS SIMONIÆ; ET ABSOLUTIONE A CENSURIS OB EAM INCURSIS; UBI ETIAM DE JUDICE SIMONIÆ, ET TESTIBUS CONTRA EAM.

333. *Ab excommunicatione ob simoniam in-*

curta solus Papa potest absolvere. — Quæritur I. Quinam possint absolvere ab excommunicatione, et dispensare in pœnis ob simoniam incursis? Resp. I. Ab excommunicatione, quam incurrunt committentes simoniam in ingressu in religionem, vel beneficio ecclesiastico, solus Papa absolvere potest. Omnes. Ratio est, quia Papa illam sibi specialiter reservavit, Extravag. 1 et 2, h. t.

334. *Et mendicantes vi privilegii, si incurritur hæc pœna ob simoniam in beneficio, vel religionis ingressu.* — Ex privilegio tamen, quo mendicantes absolvere possunt a casibus Papæ reservatis, etiam ab ista excommunicatione absolvere valent; dummodo non sit publica, et ad forum contentiosum deducta. Palao, *de Simonia*, punct. fin. n. 2; Suarez, lib. IV, *de Simonia*, cap. LXI, n. 4.

335. *In pœnis ob simoniam in collatione, vel susceptione ordinum commissam etiam occultam, nullus præter Papam dispensare potest.* — Resp. II. Nullus præter Papam absolvere potest ab excommunicatione, suspensione, interdicto, vel aliis pœnis, quæ ob simoniam in susceptione, et collatione ordinum committitur, etiamsi simonia sit occulta. Ratio est, quia præterquam quod dispensatio in his pœnis de jure expressa sit reservata Summo Pontifici c. penult. h. t. can. *Erga*, 110, cau. 1, q. 1; Sixtus V, in Bulla *Sanctum et salutare*, quæ est 91, inter constitutiones dicti Papæ in *Bullario Cherub.* Dispensationem etiam in collatione, susceptione ordinum commissam, soli Sedi Papali reservavit, cum expressa derogatione omnium privilegiorum, ac etiam concil. Trident. sess. 24, *de Reformat.* cap. vi, vi cuius alias episcopi possunt in omnibus suspensionibus, et interdictis occultis (excepto proveniente ex homicidio voluntario) dispensare, et ab omnibus casibus occultis absolvere. Et quamvis Clemens VIII, reduxerit hanc Bullam ad terminos juris communis, tamen in iis, quæ Sixtus V, statuit contra simoniacos, eamdem confirmavit. Putat autem Lessius, lib. II, cap. xxxv, dub. 24, n. 134. Hanc Bullam circa hoc non esse ubique usu receptam. (ADNOTATIO XII.)

336. *Si beneficium simplex simoniace fuit obtentum, beneficiario ignorante, potest episcopus dispensare, quod illud retineri valeat.* — Quæritur II. An episcopus, vel alius præter Papam dispensare possit in pœna nullitatis, et inhabilitatis ad idem, vel aliud be-

neficiam, ita ut vi talis dispensationis possit quis beneficium simoniace obtentum retinere, vel illud aut aliud de novo acquirere? Resp. I. Quando beneficium aliquod simplex simoniace procuratum est ab aliis, beneficiario invincibiliter ignorante, consequenter beneficium bona fide acceptante, potest cum illo dispensare episcopus, ut illud de novo acquirere valeat; dummodo id prius resignet. Abbas, in c. *de Simoniace*, 22, h. t. Palao, *de Simonia*, punct. fin. n. 3; Pirhing, h. t. n. 173, cum communi et certa aliorum, ob claram juris dispositionem c. penult. *de Elect.*

337. *Idem potest, si est praelatura aut beneficium curatum, dummodo collatio illius per sententiam reprobata non sit.* — Dicitur autem notanter, beneficium simplex; quia si praelatura, vel dignitas aliqua praefato modo simoniace procuratur, aut beneficium curatum, quae in hoc aequiparantur arg. c. *de Multa, de Praebend.* non potest episcopus dispensare, ut talis beneficium illa vice retinere, vel de novo acquirere valeat, sed debet tale prius alteri conferri, et postea, si iterum vacare contigerit, poterit rursus conferri tali simoniam ab alio commissam ignorantem, ut advertunt doctores citati, arg. cit. c. penult. *de Election.* Verum si istud c. penult. bene examinatur, clare apparet, hoc intelligendum esse de casu, quo ob simoniam alterius per sententiam fuit reprobata, vel irrita declarata electio, vel collatio; consequenter, si per sententiam in foro externo reprobata non fuit talis beneficii provisio, etiam pro illa vice dispensare poterit episcopus, quod quis dignitatem quoque, aut beneficium curatum per simoniam alterius, bona fide obtentum retinere, vel potius de novo acquirere valeat, si prius illud resignet. Sic enim habet textus: « Si alicujus electionem propter simoniam eo ignorante ac ratam non habente commissam contigerit reprobari; cum eo super praelatione, ad quam taliter fuerat electus, illa vice non potest episcopus dispensare: quamvis circa eum, qui ignoranter decepit simplex beneficium per simoniacam pravitatem post liberam resignationem dispensatio episcopi alteretur. »

338. *Poenae inhabilitatis ad beneficium episcopus dispensando tollere non potest, quando simonia ab ipso beneficiario, vel illo sciente ab aliis fuit commissae.* — Res. II. Si beneficium aliquod, quaecumque tandem per alium si-

moniace fuit obtentum, beneficiario sciente, et tacite, vel expresse consentiente, aut ipsomet simoniace procurante, episcopus nec pro foro externo nec pro interno potest dispensare, ut beneficium hujusmodi retinere, aut idem hac, vel alia vice de novo iterum acquirere valeat simoniacus, etiamsi simonia sit occulta. Quod pro foro externo dispensare nequeat, certum est apud omnes. Et ratio est, quia simoniace acquirens beneficium redditur ad illud perpetuo inhabilis per jus commune, et constitutiones Pontificias, in quibus episcopus dispensare nequit juxta dicta lib. I, tit. II, *de Constitut.* § 18.

339. *Idque procedit etiam in foro interno, quidquid dicant alii.* — Quod nec in foro interno, simonia existente occulta id possit, tenent Palao, *de Simonia*, punct. ult. n. 3; Suarez, lib. IV, *de Simonia*, cap. LXI, n. 40 et 41; Lessius, lib. II, cap. xxxv, dub. 25, n. 140; Pirhing, h. t. n. 173, et communissima aliorum contra Henriquez, lib. III, *de Excommun.* cap. lvi, n. 4, putantem, probabile esse, quod episcopus pro foro interno dispensare valeat, si simonia est occulta, cui adhærent etiam Palao, et Lessius, loc. cit. qui, etsi fateantur, conclusionem nostram esse communioem, probabiliorem, et praxi magis conformem, censent tamen opinionem Henriquez probabilem. Ratio autem conclusionis nostrae est, quia episcopus nec pro foro interno dispensare potest in lege superioris, et poena per eum imposita, nisi id ei specialiter concedatur; ergo.

340. *Episcopus non habet potestatem dispensandi in foro interno in cunctis poenis occulto delicto per Papam impositis.* — Confirmatur, et probatur ulterius conclusio nostra: Si posset episcopus dispensare in poena inhabilitatis ad idem beneficium, et dispensando facere quod quis illud simoniace obtentum retinere, aut de novo obtinere valeret; ideo posset juxta citatos paucos adversarios, quia vi concilii Tridentini, sess. 24, *de Reformat.* cap. vi, habet facultatem dispensandi « in omnibus irregularitatibus, et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae provenit ex homicidio voluntario, et absolutioni in foro conscientiae ab omnibus ecclesiis occultis etiam Papae reservatis; » atque vigore hujus facultates non potest dispensare episcopus; tum quia haec inhabilitatis poena non est casus occultus pertinet ad absolutio-

enm sacramentalem; tum quia etiam non est censura, nec irregularitas, sed alia poena particularis vindicativa per Pontificem imposita simoniae: per concilium Tridentinum autem loc. cit. non datur facultas dispensandi in omnibus poenis Papae reservatis, juxta declarationem apud Suarez, lib. IV, *de Simonia*, cap. LXI, n. 11, in fine. Tum denique quia illa poena nullitatis, et inhabilitatis ad idem beneficium introducta est post concilium Tridentinum, consequenter ad dispensandum in ea, se non extendit facultas a concilio Tridentino episcopis data, prout in simili Gregorius XIII. respondit audita relatione S. Congregationis. Accedunt aliae adhuc declarationes cardinalium conclusionem nostram certam reddentes, inter quas est illa apud Palao, loc. cit. ita sonans: « Episcopus etsi a simonia occulta absolvi possit, non potest tamen simoniacum rehabilitare ad beneficia in posterum obtinenda, neque ad ea retinenda, quae per simoniam occultam retinet. » Ex quibus propositis satis liquet, contrariam sententiam in praxi esse minime tutam, et consequenter nullatenus practicandam.

341. *Licet Papa dispensare possit in quavis poena simoniae, tamen rarissime dispensat; et quare?* — Queritur III. An, et ex quibus causis soleat Papa dispensare in poenis simoniae? Item, quid observandum in praxi pro obtinenda dispensatione hujusmodi? Resp. I. Quamvis Papa possit, tamen rarissime solet dispensare in poenis simoniae, sive pro foro interno, sive externo petatur dispensatio, etiamsi gravissimae allegentur causae, teste Pyrrho, Corrado, in *Praxi dispensat.*, lib. V, cap. ix, num. 7, dicens, se id experientia tot annorum, quibus praetorio Apostolico servivit, didicisse: ubi num. 5, etiam ait: Saepissime hujusmodi supplicationes proponuntur in plena congregatione sacrae Pœnitentiariae, et nimis raræ sunt, quae signantur. Id ipsum experti testantur, qui pro dispensatione in casu simoniae supplicant S. Pœnitentiariae. Imo ipsimet id testari possumus, utpote, qui aliquoties pro obtinenda dispensatione in casu simoniae apud S. Pœnitentiarium, allegatis etiam urgentibus causis supplicavimus, sed nil obtinimus. Ratio autem, cur tam difficile in concedenda hac dispensatione se exhibeat Curia Romana, est; quia vitium simoniae tanquam pestem extreme aversatur Ecclesia, illudque omni quasi misericordia indi-

gnum reputat, et ordinaria negatione dispensationis ac indulgentiae alios ab illo committendo detertere vult.

342. *Causae dispensandi allegari possunt scandalum, et paupertas rei.* — Resp. II. Quamvis rarissime, tamen nonnunquam dispensare solet Pontifex in poenis simoniae, ita ut illius reus non tantum absolvatur ab omnibus censuris, et irregularitate, sed dispenseatur etiam in inhabilitate ad idem et alia beneficia retinenda, ac obtinenda; simulque immunis reddatur a restitutione fructuum perceptorum. Pro qua dispensatione obtinenda, inter alias causas serviunt scandalum in dimissione beneficii timendum, et paupertas supplicantis, rarissime tamen, uti jam dictum, et bene advertit summe practicus in Curia Pyrrhus Corradus, in *Praxi dispensat.*, lib. V, cap. ix et xi. Quando autem ex hujusmodi causis, vel cum quibus dispensetur, et quando, vel cum quibus non, nullam certam habemus regulam. Hinc simoniae reus rem quidem tentare, et supplicare potest, committere tamen Deo debet, num mentem cardinalium hic et nunc pro petita gratia concedenda movere velit.

343. *Quando simonia est publica, dispensatio pro foro externo obtineri debet a dataria.* — Resp. III. Quando simonia est publica, et consequenter dispensatio necessaria est etiam pro foro externo, debet fieri recursus ad Datariam Apostolicam, eique offerri supplicatio, in quo praeter alia exprimi sunt fructus quoque ex beneficio simoniace obtento percepti, eo quod casu existente publico consignari debeant summo Datario; quamvis hodie super illis fiat transactio, ita ut ex illis tertia, vel etiam major pars remittatur delinquenti, prout visum fuerit Datario. Pyrrhus Corradus, loc. cit., c. 9, n. 13 et 14.

344. *Quando vero est occulta, procuratur pro foro interno in Pœnitentiarium.* — Resp. IV. Quando simonia est occulta, et consequenter dispensatio necessaria pro solo foro interno, supplicari debet S. Pœnitentiariae, inscribendo supplicam cardinali summo Pœnitentiarium, eo fere modo, quo supra lib. IV, *In appendice*, § 9, a n. 425, diximus, supplicari debere pro obtinenda dispensatione in causa matrimoniali.

345. *Quid in praxi observandum pro dispensatione obtinenda?* — Ut autem debite formetur sive pro foro interno, sive pro foro

externo, consultum est, ut casus una cum causis dispensandi exacte scribatur alicui procuratori generali, vel cuidam alteri Romæ existenti, qui vel ipse bonus practicus supplicationem juxta stylum Curie debite formet vel ab alio practico formari faciat; quia cum alias difficiles impetratu sint dispensationes in pœnis simoniæ, expedit, ut supplicatio omni meliori modo, et juxta stylum concipiatur ne vel ex hoc defectu gratia denegetur.

346. *Quenam observare debeat executor litterarum dispensationis in pœnis simoniæ?* — Quæritur IV. Quenam observanda sint in executione dispensationis Apostolicæ in pœnis simoniæ pro solo foro interno a Pœnitentiaria datæ? Resp. Esse bene attendendum, et observandum tenorem litterarum dispensationis; in quibus, si circa restitutionem fructuum non dispensatur, injungi solet confessario, ut cum simoniaco antea non dispenset, nisi postquam fructus ex illo beneficio indebite perceptos, in totum restituerit, vel si ob ejus paupertatem in presentiarum non potest, se restitutum promiserit, cum primum poterit, etiam cum aliquo incommodo, et indigentia. Ita Pyrrhus Corradus, loc. cit., cap. XI. Item injungitur, ut priusquam ad dispensationem procedatur, beneficium simoniace obtentum dimittat, et novam provisionem a confessario per S. Congregationem deputato, pro foro conscientie obtineat.

347. *Et quibus verbis, vel qua formula dispensandi uti debeat?* — Cæterum ad absolutionem, et dispensationem a confessario faciendam nulla reperitur certa formula præscripta, unde non refert, qualia exhibeantur verba, dummodo iis satis exprimat, pœnas tolli. Observandum tamen est, quod ad tollendas censuras, et alias pœnas merito adhibeatur verbum: Absolvo, ad tollendam irregularitatem autem, verbum dispenso: sic v. g. sequenti formula rite exequitur confessarius commissam sibi dispensationem:

Misereatur tui, etc. Indulgentiam, absolutionem, etc., uti ante absolutionem sacramentalem. Dominus noster Jesus Christus absolvat te, et ego auctoritate Apostolica, in hac parte tibi concessa, et mihi commissâ, absolvo te a quibuscunque sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis, quas ob simoniæ labem in assecutione talis beneficii ecclesiastici quomodolibet incurristi, item

dispensio tecum super irregularitate, si quam censuris ligatus celebrando contraxisti, teque habilem reddo executioni ordinum et officiorum tuorum, tibi que titulum dicti beneficii restituo, ac fructus ex eo male perceptos condono (si id commendant litteræ dispensationis) teque ad omnes actus legitimos pariter restituo. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

348. *In causis simoniæ solus iudex ecclesiasticus cognoscere potest.* — Quæritur V. Quis sit iudex in causis simoniæ? Quis item accusator, et testis esse valeat? Resp. In his causis solus iudex ecclesiasticus cognoscere, et definitive pronuntiare potest, etiamsi reus sit laicus. Clarus, lib. V, § *Simonia*, n. 7. Pirhing, h. t. n. 142. Abbas, in c. *Cum sit*, 8, de Foro competent. et ibi Glossa, § *Malefactores*, communiter recepta. Ratio est, quia simonia versatur circa objecta spiritualia, consequenter causa spiritualis est; causarum autem spiritualium cognitionem, et sententiæ pronuntiationem ad solos iudices ecclesiasticos pertinere certum est ex c. 2, de *Judic.* et Concord.

349. *Ad accusandum simoniam quivis etiam criminosus admittitur.* — Resp. II. Tanta est labes hujus criminis, ut etiam servi erga dominos, et quilibet criminosi admittantur ad accusationem. Ita in terminis habetur c. *Tanta*, 7, h. t. Et quidem tam contra dantem, quam contra recipientem aliquid simoniace, arg. c. *Non satis*, 8, h. t.

350. *Facta accusatione accusatus statim suspensus est a celebrandis Missarum solemnibus si de simonia jam est diffamatus.* — Porro quamprimum quis accusatur de simonia, ipso facto est suspensus a celebrandis solemnibus Missarum, c. *Accusatum*, 4, etc. *Quoties*, 5, h. t. (intellige, si jam publice sit infamatus de hoc crimine) alias non, uti bene advertit Glossa, in cit. c. *Accusatum*, h. t. § *Solemnia*.

351. *Contra simoniam quivis etiam alias criminosus potest esse testis, dummodo non sit inimicus capitalis rei, nec perjurus.* — Resp. III. Sicut quilibet alias de jure inhabilis, v. g. criminosus potest esse accusator, ita etiam testis esse valeat contra simoniam, dummodo non sit capitalis inimicus rei aut conspirator in eum, uti satis clare habetur, c. *Licet Heli*, 31, c. *Per tuas*, 32, h. t. et ibi doctores communiter. Et hoc præcipue verum est, si testis criminosus ex crimine suo jam emendatus est, cit. c. *Per tuas*, 32, h. t.

ibi: Præsertim cum testes de crimine fuerint emendati: nisi sit perjurus, hic enim etiam emendatus non amplius admittitur ad testificandum, uti post Glossam, in c. *Per tuas*, h. t. § *Furti*, bene docet Abbas, n. 10. Pirhing, h. t., n. 150, textu satis claro can. *Parvuli*, 14, can. 22, q. 5, et c. *Testimonium*, de *Testib.* Ratio est, quia, qui semel perjurus est, merito timetur rursus perjurare, arg. l. Si cui § 3, ff. de *Accusat.*

352. *Veruntamen testes de jure inhabiles etiam in hac causa sine adminiculis plene non probant.* — Notat tamen bene Abbas, in c. *Per tuas*, h. t., n. 4. Pirhing, h. t., n. 150, quod etsi criminosi admittantur pro testimonio ferendo contra simoniacos, tamen sine adminiculis, vel indicibus aliis plene non probent, arg. cit. c. *Per tuas*, h. t. ibi: *aliis adminiculis suffragantibus*. Plura de testimonio testium alias inhabilium contra simoniacos lege in cit. c. *Licet Heli*, 31, et c. *Per tuas*, 32, h. t.

TITULUS IV.

Ne prælati vices suas, vel ecclesias sub annuo censu aliis relinquunt.

1. *Prælati Ecclesie nequeunt alteri committere suam jurisdictionem pro annuo censu.* — Viso de simonia in genere, succedunt in hoc et sequenti titulo quædam simoniæ in specie, et quidem per rubricam hujus tituli, totumque titulum reprobat certa simoniæ species, quæ olim in quibusdam locis vigebat, dum prælati vices suas, aut episcopi suam jurisdictionem episcopalem aliis sub annuo censu seu pretio exercendam relinquabant, uti consequendo refert Papa c. 1, 2 et 3, h. t., consuetudinemque enormem vocat, ac reprobat: idque merito, quia jurisdictionis episcopalis, et quocunque aliud ecclesiasticum officium est quid spirituale, et propterea pretio conferri nequit absque labe simoniæ, prout amplius diximus tit. præced. a n. 48.

2. *Solvitur objectio.* — Nec obstat, quod episcopus possit, imo et debeat suo vicario generali, seu officiali constituere salarium ex camera episcopali. Resp. enim, aliud esse jurisdictionem suam sub annuo censu sibi præstando, aliis relinquere, aliud vicario generali constituere salarium; quia vicarius recipit salarium per modum stipendii

arg. c. *Charitatem*, 12, q. 1, ibi: Justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium: imo pro laboribus temporalibus officio per accidens annexis, etiam per modum mercedis, arg. c. *Quicunque*, 12, q. 2, ibi: Dignus est operarius mercede sua, cum concordantiis.

3. Secus fieret, si episcopus sub annuo censu suam jurisdictionem alteri relinqueret: tum quia eam ex debito sui officii tenetur gratis administrare; tum quia alioquin suam jurisdictionem exponeret venalem. Adde cum Fagnano, in c. *Quoniam*, h. t., n. 8. Quamvis, ut officium ecclesiasticum committatur sub datione pecuniæ, sit illicitum tam ex parte dantis, quam recipientis: nihilominus commissio jam officio licitum est, per modum salarii dare pecuniam ei, cui committitur, idque per jura allegata num. præced.

4. *Redditus ecclesie sub annuo censu bene possunt elocari.* — Verum dictis non obstantibus licitum et neququam simoniacum est, possessiones et redditus Ecclesie sub annuo censu alicui elocare; cum ea res sit mere temporalis. Ita habetur cap. ult. h. t. ubi nomine Ecclesie ad annum censum datæ intelliguntur possessiones seu fructus Ecclesie, ut explicat Glossa, ibid. § *Præfatam Ecclesiam*, alioquin enim decretalis illa contrariaretur rubricæ tituli, ac prioribus capitulis.

5. *Pœnæ contravenientium rubricæ tituli.* — Cæterum pœnæ contravenientium huic rubricæ et titulo sunt. I. Quod tam dans, quam recipiens excludantur ab Ecclesia, in cujus contumeliam res data et accepta est, c. *Consulere*, 38, de *Simonia*. II. Qui dat pecuniam pro officio, aut jurisdictione spirituali, tale officium perdit, male autem ita comens amittit conferendi illud potestatem, c. 1, h. t. III. Dans pecuniam removetur a clerico; episcopus vero pro illo conferens spirituales jurisdictionem suspenditur ad tempus pro qualitate delicti, c. 2, h. t. et ibi Glossa, § *Percellatur*. (ADNOTATIO XIII.)

TITULUS V.

De magistris, et ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

1. *Ratio continuationis.* — Duas partes continet rubrica hujus tituli. Prima est de